



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 81. Augustana Comitia a Cæsare indicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI.
A C. 1555.

Orland. l. c.
n. 4.

Attamen hoc Facultatis decreto magis divulgato una omnes contra Jefuitas Parisiis infurgebant, ipsi etiam Concionatores adversus eos ex fuggestu declamabant, & Parochi palam ipforum institutum impugnabant, omnesque Doctorum scholæ ejusmodi sermonibus resonabant. Carpebatur etiam ipforum doctrina, ac vitæ ratio, quapropter Parisiensis Episcopus Sorbonici decreti auctoritate suffultus, in sua Diœcesi omnes ipsis functiones prohibebat, ejusque exemplum plures alii, qui Parisiis agebant, Prælati sequebantur, illudque imitabantur; Verum Patres solo patientiæ scuto hisce telis obviabant, tempestatem hanc opportuno tempore eludere sperantes.

§. LXXXI.

Ann. 1555. Augustana comitia a Cæsare indicta.

Pallav. l. 13.
s. 10. n. 3.

Nec minores curæ summum Pontificem in Italia anxium reddebant; quippe præter sollicitudinem, qua ob diuturnam Senensis urbis obsidionem cruciabatur, magis intimo adhuc dolore affligebatur, accepto nuntio, quod Cæsar Imperii comitia Augustæ celebranda eo fine indixisset, ut ibidem de Religionis causa ageretur, tandemque decidetur, quodnam ex illis quatuor mediis nuper in Passaviensi conventu propositis ad

ad dirimendas fidei controversias in u-
sum deducere magis expediret. Hanc
in rem Augustus Saxoniae Elector, qui
Lutheranorum caput proclamabatur, ad
Caesarem Bruxellis agentem literas de-
dit, eumque, ut haec comitia convoca-
ret, rogavit: si vero ipse infirmitate
pressus illis interesse haud posset, saltem
quemdam nominare dignaretur, qui e-
jus loco Praesidis vices ageret, ut Reli-
gionis diffidia in Germania componi, at-
que pro reddenda pace opportuna ex-
cogitari valerent media, eoquod Catho-
lici (ut assererat hic Elector) cum ex
Anglorum seditione se potentia superio-
res esse existiment, absque Religione le-
ges in nuperis comitiis stabilitas viola-
rent, ut proin gravius adhuc malum in-
de oriri posset, nisi tempestive reme-
dium opponatur. Caesar haud cunctan-
ter Electoris petito annuit, eoquod ex
Germania discessurus Imperii negotia in
turbido statu relinquere nollet; cum er-
go tanti momenti negotium pro rei
gravitate maturius perpenderet, ineun-
te Mense Februario hoc anno salutis no-
strae millesimo quingentesimo quinqu-
agesimo quinto Augustae comitia cele-
brare statuit, hancque in rem Ferdinan-
do suo Fratri necessarias transmisit lite-
ras, dato negotio, ut ipse comitiis praes-
esset.

Saecul. XVI.
A.C. 1555.